MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81235-16

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

WEBER, HUGO

TITLE:

CONIECTURAE TULLIANAE

PLACE:

WEIMAR

DATE:

1871

Master Negative #

93-81235-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



87CE
Z8 Weber, Hugo,
...Coniecturae Tullianae. Weimar, druck der Hof-buchdruckerei, 1871.
15 p. 28 cm.

At head of title: Jahresbericht über das Wilhelm Ernstische gymnasium zu Weimar... Voran steht eine abhandlung des... Dr. Hugo Weber.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-31-93 INITIALS m.p.c
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87CE Nov17
Z8

Jahresbericht

über das

Wilhelm-Ernstische Gymnasium

zu Weimar

von Ostern 1870 bis Ostern 1871,

erstattet

von

dem Director

Hermann Rassow.

Voran steht eine Abhandlung

des

Herrn Professor Dr. Hugo Weber

Coniecturae Tullianae.

Weimar

Druck der Hof-Buchdruckerei

1871.

Vitium videntur habere quae leguntur in Ciceronis oratione Philippica I 7, 17: *pecunia utinam ad Opis maneret! cruenta illa quidem, sed his temporibus, quoniam iis quorum est non redditur, necessaria: quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis fuit.* Excerpta sunt haec ex eo loco, ubi prudenter et versute orator M. Antonio nocere studet. Ita enim vituperat eas leges, quas ille promulgaverat, ut cum ab eo Caesaris acta male defendi doceat, se ipsum horum tutorem profiteatur. Atque etsi quibusdam in rebus conivere se velle dicit, tamen nec obscure fert nec dissimulare potest M. Antonium per causam actorum Caesaris defendendorum plura protulisse e commentariis et chirographis et libellis, quam quae ibi scripta fuissent. Velut inserit mentionem pecuniae ad Opis servatae, quam si non totam, at certe magnam eius partem tum iam ille effuderat. Nam a. d. V. Kal. Maias — habita est autem prima oratio Philippica eodem anno a. d. IIII. Nonas Septembres — Cicero Attico scribit (XIIII 14, 5): rapinas scribis ad Opis fieri, quas nos quoque tum videbamus, cf. Halmii praef. 40, 164. Ergo ei quod manifestum est studio adversarii petendi magis consentaneum esse facile concedetur *est effusa* quam *sit effusa,* quia ratio indicativi, qui est in membro condicionali *si ita in actis fuit,* postulare fere videtur, ut idem modus in altero membro ponatur.

Eadem oratione 13, 31: *Tu autem M. Antoni — absentem enim appello — unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus his mensibus; quibus te quidam multum a me dissentientes beatum putant, anteponis? Quae fuit oratio de concordia! quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est, cum collegam tuum depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum a te ipso augure populi Romani nuntiatorum, illo primum die collegam tibi esse voluisti, tuus parvus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit. Quo senatus die laetior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in contione umquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos videbamur, quia ut illi voluerant libertatem pax consequebatur.* Veteranorum mentionem ab hoc loco alienam esse apparet. Certe eo die, quem dicit Cicero, — is fuit a. d. XVI. Kal. Apr. — senatusconsulto cautum est veteranis, in quo iis agri a Caesare adsignati servabantur, sed ferri non possunt hoc loco veterani. Neque enim idonea causa cogitari potest, cur Ciceronis de veteranorum salute tuenda, quam nimis interea foventem Antonium vidisset, tantam repente curam fuisse putemus neque vero illud intellegitur quomodo ea, quae pacis firmandae causa Antonius fecisse hic dicitur, maxime ad veteranos pertinuerint. Non igitur veteranos illo die sollicitudine liberatos esse Cicero dicere debuit atque adeo noluit, sed senatum, qui nullo die laetior, et civitatem, quae nulla in contione frequentior fuisset. Nimirum senatusconsultum, quod tum factum est, per se ipsum quanta Caesaris etiam mortui auctoritas esset ostendebat, quae tanta fuit, ut senatores libere respirare viderentur, cum in actis Caesaris defendendis acquiescere eos Antonius sineret. Senatorum igitur commemorationem hic requiri recte sensit is qui *senatus* coniecit pro *veterani,* quae quidem coniectura veri similitudine caret. Quod Halmio olim Cicero scripsisse videbatur *veterum malorum* — Orellius scripsit *veteris mali* — nunc plane abiecit. Nam quod in libro Bambergensi (= a) invenitur *veteri,* id ex *veterani* factum est, in quo reliqui

conspirant. Igitur nec haec tolerabilia sunt nec illud *veterani* glossema nescio quo pacto insertum habendum est, sed scribendum est *quanto metu* vestri animi, *quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est* et q. s. Eodem modo simili in causa orator senatum et populum Romanum coniungens nominat Phil. II 45, 115: *Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti; pone ante oculos laetitiam senatus populique Romani.*

Hic in mentem mihi venit locus quidam Livianus (XXIIII 8, 1), ubi anno 215 a. Chr. n. Q. Fabius cum comitia haberet ad consules creandos in annum proximum, metuisse dicitur ne ei consules crearentur, qui ut in rebus afflictis parum apti essent rei publicae tuendae. Quod malum ut evitaretur illum horum intercessisse creationi et prohibuisse ne comitia continuarentur. Pergit Livius: *silentio facto tali oratione est usus: si aut pacem in Italia aut id bellum eumque hostem haberemus, in quo neglegentiae laxior locus esset, qui vestris studiis, quae in campum ad mandandos quibus velitis honores adfertis, moram ullam offerret, is mihi parum meminisse videretur vestrae libertatis.* Ita vulgo legitur. Nititur autem illud *vestrae libertatis* fide admodum infirma, nam cod. Puteaneus praebet *videretur ue liberatis* et *l* supra *el* scriptum. Melius ac significantius dicitur *veteris libertatis.* Vocabula enim veteris et vetustatis de iis rebus usurpantur, quae legibus et institutis stabilitae sunt.

Phil. I 14, 35 Halmius edidit: *Quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice atque ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant, sine quo nec beatus nec clarus nec tutus quisquam esse omnino potest* secutus Mureti opinionem, qui *nec tutus* scripsit pro eo quod est in libro Vaticano *nec unctus* a reliquis libris omissum. Attulit alias quoque coniecturas *nec sanctus* et *nec diuturnus,* quae longius mihi aberrare videntur a mendosarum litterarum similitudine. Suspicor enim scribendum esse *iucundus,* cuius vocabuli prima syllaba deleta sit similitudine praecedentis vocis *nec,* reliquae depravatae sint in *unctus.* Quodsi haec vera sunt, hic eodem vocabulo de gratia populari orator utitur, quo pro Sestio 49, 105.

Phil. II 7, 17 nunc ita scribitur: *Ad sepulturam corpus vitrici sui negat a me datum. Hoc vero ne Publius quidem Clodius dixit unquam: quem quia iure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis esse superatum.* Extat in antiquissimo libro Vaticano *eum* inter *vitiis* et *esse,* in reliquis *a* et *u* vocalibus inter se permutatis scriptum est *iam,* quibus quidem lectionibus, cum neglegi non deberent, Stuerenburgius usus scribendum esse putavit: cui *quia . . . vitiis* eum *esse superatum.* Speciosa ea quidem sunt, sed deesse mihi videtur aliquid ad veritatem, ad quam nescio an propius accedat vocabulum *tamen* post *vitiis* insertum, ut eo vocabulo M. Antonius P. Clodio oppositus efferatur. Simile vitium tollendum est apud Livium XXV 10, 5, ubi qui defenderunt librorum scripturam, ad inanes argutias grammaticas confugerunt, quem adscribam locum statim correctum: *ubi inluxit, et Romanis Punica et Gallica arma cognita* eam *dubitationem exemerunt, et Graeci* et q. s. In codicibus est *tum.*

Quae leguntur Phil. II 29, 49, eadem emendatione corrigenda mihi videbantur, qua I. Iccpio visa esse postea animadverti: *venisti e Gallia ad quaesturam petendam. Aude dicere te prius ad parentem tuam venisse quam ad me. Acceperam iam ante Caesaris litteras, ut mihi satis fieri paterer a te: itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia. Postea sum cultus a te, tu a me* auctus *in petitione quaesturae,* quam coniecturam ab Halmio spretam esse miror. *ouatus* enim habet cod. Vatic., reliqui iique deteriores *observatus,* quod interpretamentum genuini vocabuli locum occupavit. Ea enim locutione, qua quis augeri dicitur, Cicero utitur coniuncta verbo honestandi de off. II 6, 21, ornandi ad fam. VII 17, 2. Adde Corn. Nep. Phoc. 2, 3 et Sall. Iug. 86, 3 *ab eo genere* (hominum) *celebratus auctusque erat* (Marius), ubi 'haud dubie ad consulatus honorem spectat'.

Phil. II 22, 55 *Ut Helena Troianis, sic iste huic rei publicae belli causa pestis atque exitii fuit.* Ita legitur in cod. Vatic., in reliquis *causa belli, causa pestis,* quae lectio nihil est nisi alterius correctio. Hanc denuo correxit Klotzius scribens *belli causa, causa pestis.* Mihi quidem transposito illo *belli* post *Troianis* huic loco videtur consultum esse commodeque id effectum, ut aequabilis sit oratio et a priore membro ad alterum fiat aliqua progressio.

Verbo moneo quae extant Phil. II 27, 65 hoc modo interpungenda esse: *Sed, ut est apud nescio quem 'male parta male dilăbuntur', incredibile ac simile portenti est, quonăm modo illa tam multa quam pauçis non dico mensibus, sed diebus effuderit* — ut haec unius eiusdemque sententiae membra sint, non ut adhuc eduntur, disiecta et separata.

Phil. II 37, 93. 94 *Unum egregium de rege Deiotaro, populi Romani amicissimo, decretum in Capitolio fixum: quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior quam Deiotaro Caesar? aeque atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus, ut omnibus, quibus rem publicam populi Romani caram esse sentiebat.* Cicero ut vitaret nescio quam *κακοφωνίαν* illius *atque* quater repetiti, si Halmio credimus, usitatam orationis normam, quam ceteris locis sequitur, hic violavit cum dixit *aeque ut,* non *aeque atque.* Sed quod vel per usus Tulliani constantiam non licet existimare hoc loco novatum esse, idem ne verum quidem esse, si recte interpretatus sis, facile est intellegere. Non enim comparantur inimicitiae Caesaris et Deiotari cum iis, quae Caesari erant et cum senatu et cum equitibus et cum Massiliensibus et cum ceteris, sed hae res inter se ita conferuntur, ut cum apertum sit omnibusque iam notum, quantae inimicitiae inter Caesarem et equites, Massilienses, ceteros intercesserint, inde facile sibi quisque persuadere possit, quam inimico animo Caesar in Deiotarum fuerit aeque atque in senatum. Manifesta fit structura, si membrorum ordinem hoc modo invertimus: *ut equitibus, Massiliensibus, ceteris Caesar inimicus fuit, ita certe fuit sive fuisse existimandus est inimicus Deiotaro aeque atque senatui,* ut duo membra sint illius enuntiati, quorum alterum a verbis *ut equestri* initium capit.

Analogiam linguae defendendam esse existimo ab eius formae anomalia, quam ut codice Vaticano traditam recepit Halmius Phil. II 31, 77 *ad vesperam,* ubi ceteri codd. et Gellius praebent *ad vesperum.* Vulgari enim eius accusativi forma quamquam Cicero ceteris locis usus est, ut docet locorum conspectus, qui est in Neuii libro de formis latinis I p. 593, hic tamen et in oratione Catilinaria II 4, 6 Halmius reposuit rariorem formam *vesperam,* scilicet optimi libri Vaticani illic, hic omnium codicum lectionem secutus. In quo vereor ne iudicium eius ea artis criticae ratio deceperit, quae diu spreta nunc quo saepius atque audacius usurpatur, eo verior et admirabilior videri solet. Sed omissis codicibus orationum in Catilinam, quorum de condicione alii videant, illud certum est optimi codicis Vaticani lectiones, si comparaveris cum reliquis, indicare in codice archetypo litterae *a* formam simillimam fuisse litterae *u.* Inde igitur fluxisse apparet vel vitia quaedam omnibus libris communia vel lectiones quasdam, quibus ille a reliquis diversus sit. Velut II 7, 17 est in cod. Vat. *eum,* in reliquis *iam;* II 20, 49 omnium consensu traditum est *ad parentem tuum* pro eo quod verum est *ad parentem tuam,* II, 23, 56 praebet cod. Vat. *Denticulam,* reliqui *Lenticulam,* ubi *Denticulum* correxit Buechelerus, II 38, 98 cod. Vat. *in calamitates at,* in reliquis correctum *in calamitate fuerint* pro genuina scriptura *in calamitate sunt.* Indidem ut omitteretur *ut* in cod. Vat. II 39, 100 factum est, ubi is habet *placuerat Kal.,* reliqui *placuerat ut ex Kal.* Adde hos locos: III 1, 2 *simul ut* V, *simul ac* D (i. e. reliqui = a b g t); III 6, 14 *persequantur* V, *persequuntur* D *(persecuntur* a b t); III 8, 20 *ad* V corr. ex *aut,* quae est duarum lectionum coniunctio; III 12, 31 *vestigium* V, *vestigia* D; V 4, 12 *consulta numquam* V *consulta tanquam* D; V 10, 27 *iusserunt* V, *iussi sunt* V corr. m. 2. D, ubi Halmius scripsit *iussi erant.* Hunc numerum augere non est opus. Haec autem exempla litterarum *a* et *u* inter se permutatarum — nam hi errores non casu aliquo orti esse mihi videntur — adeo non confirmant eam Halmii opinionem, ut satius sit ad vulgarem formam redire. — Altera quaedam est consuetudo codicis Vaticani dudum animadversa, ut saepe duas lectiones coniunctas habeat, velut III 1, 1 *postulabatuit* 9, 22 *intellegitat* 14, 36 *patefaciunt fecerunt.* Iam si III 6, 16 in cod. Vat. legitur *traxit tarxerat,* in reliquis *traxerit,* ea dittographia inde orta est, quod in archetypo scriptum erat *traxerat.* Nec vero *traxerat* posuisse Cicero videtur, sed *traxerit,* maxime ut coniunctivo causam notaret contemptus. Haec enim dicit de Antonio, qui Octaviano generis ignobilitatem obiecerat: *tuae coniugis, bonae feminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemtius, qui propter haesitantiam linguae*

stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit. — *At avus nobilis* — ubi *traxerit* scripsi, scribitur vulgo *traxerat.* Librarius enim, cum *traxerit* scribere vellet oculis ad proximum *at* aberrantibus primo quidem extremam syllabam *it* omisit, deinde superscriptam addidit.

Phil. II 38, 98 *Et de exsulibus legem, quam fixisti, Caesar tulit? Nullius insector calamitatem: tantum queror primum eorum reditus inquinatos, quorum causam Caesar dissimilem iudicarit; deinde nescio cur non reliquis idem tribuas; neque enim plus quam tres aut quattuor reliqui sunt. Qui simili in calamitate sunt, cur tua misericordia non simili fruuntur?* Contraria Antonii et Caesaris in exsulibus revocandis ratio, quae hic notatur, maxime in eo cernitur, quod Caesar unam exulum partem a ceteris segregandam esse existimavit eosque tantum, qui rei publicae causa urbe expulsi fuerant, restituit, Antonius ut ex actis Caesaris postea etiam eos reduxit, qui flagitiorum condemnati patria carebant, atque ita omnium exulum eandem esse, non dissimilem causam iudicavit. Iam vero qui haec reputaverit, si Ciceronis verba, sicut nunc eduntur, legerit, nonne maxime offendet in verbo *inquinatos?* Certe specie quidem tolerabilis inde nascitur sententia, sed reapse plane repudianda. Potius si quidem ea quae statim subsequuntur respicimus, illud ipsum opinor exspectamus, a Cicerone Antonium exagitatum esse, quod ei ex exilio reducti essent, quorum causam Caesar dissimilem iudicasset. Recte id sensit Camerarius, qui legendum esse putavit *aequatos,* ut Cicero quamquam nullius insectetur calamitatem, tamen illud queratur Antonium actis Caesaris insolenter abusum esse. Ita igitur si sententiam ipsam restitutam esse sane confitendum est, tamen *inquinatos* et *exaequatos* inter se litteris similiora sunt, ut multo credibilius sit hoc in illud depravatum esse quam *aequatos.*

Vocabulum leviter corruptum est in eis quae leguntur Phil. III 5, 12 *Cum autem omnis servitus est misera, tum vero intolerabilis est servire impuro, impudico, effeminato, numquam ne in motu quidem sobrio.* Apertum est illud *intolerabilis* minime sanum esse et quod in recentiore codice i legitur *intolerabile,* nullius esse momenti. Comparat autem hoc loco Cicero M. Antonium cum rege Tarquinio, nimirum ut causam et occasionem haberet D. Brutum hortandi, ut exemplum L. Bruti imitaretur salutemque patriae redderet. Quidni repetatur servitus? inquit Halmius. At sive repetitur ea vox sive cogitatione suppletur, nihil proficitur ad orationis sanitatem. Scribendum est *intolerabilius.*

Cicero in oratione pro Milone postquam cum alia crimina, quae in eum falso conferrentur, tum maxime illud diluere conatus est, quo passim in urbe arma abdidisse dicebatur, (25, 67) ea omnia quae disputavit colligit, maxime ut se convertat ad Pompeium unum Milonis causae adversantem. *Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt. cum tamen si metuitur etiam nunc Milo, non iam hoc Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei — te enim iam appello, et ea voce ut me exaudire possis — tuas, tuas inquam suspiciones perhorrescimus.* Haec alii aliter correxerunt plerumque omisso illo *si,* quod nunc verborum structuram admodum perturbat. At cum id consensu librorum satis firmatum sit, violentum est hoc vocabulum delere eoque potius adducimur ut aut *cum tamen* aut *si* vitiosum esse putemus, in quo dubium videtur, utrum enuntiatum illud *cum tamen — Milo* adiungendum sit superiori enuntiato an cum posteriore oratione unum ambitum efficiat. Utrumque per se ipsum quidem fieri licet. Quid? si pro illo *cum* reponitur *ac,* nonne omnia recte et ordine inter se cohaerent?

Quae in eadem oratione (26, 29) dicit Cicero, ita scripta sunt in libris TE: *Erit, erit illud profecto tempus et illucescet ille aliquando dies, cum tu salutaribus, ut spero, rebus tuis sed fortasse motu aliquo in communium temporum, qui quam crebro accidat experti scire debemus, et amicissimi benevolentiam et gravissimi hominis fidem et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.* Quod in S legitur *motu aliquo communium temporum immutatis,* vulgo receptum est omisso illo *immutatis,* quod prae se fert speciem interpolationis. Ac si praeterea *in* omittitur, declinatur magis difficultas, quam solvitur, quia suspicio oritur vocabulum aliquod inter *aliquo* et *communium* intercidisse, quod significaret quali motu oppressus Pompeius, etiamsi salvus esset, auxilium Milonis desideraturus esset. Ergo corrupto loco subvenias scribendo *sed fortasse motu aliquo* iniquo *communium temporum.*

In oratione pro Murena 2, 3 libri haec praebent: *Quis mihi in re publica potest aut debet esse con-*

iunctior, quam is cui res publica a me una traditur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata excepto Parisino 7, in quo *uno* legitur. Doctorum hominum omnes recensere coniecturas non opus est, satis habeo commemorare Halmium nunc Fr. Richteri opinionem probasse, qui eum locum lacunosum esse statuit. Sed sive cum illo *a me una cum salute communi traditur sustinenda* scribitur sive cum hoc *a me una cum omnium nostrum vita traditur sustinenda,* remanet in utraque coniectura hoc vitium, ut praesenti tempori verbi *traditur* violenta quadam interpretandi ratione 'per oratoriam prolepsin', ut ait Halmius, vim futuri temporis tribuere cogamur. Immo si recte de hoc loco iudicare volumus, potius eius temporis significatio mihi videtur quaerenda esse, quo re vera res publica sustentata futuro consuli sustinenda tradatur. Ita quidem ratio temporum observatur, quae nimis ab illis criticis neglecta est. Sane propter similitudinem litterarum aliquid excidisse mihi post *a me* videtur. Insero enim *anno ineunte,* quae opinio eo probabilior fortasse videbitur, quia paullo post §. 4. 5 ad eandem sententiam orator redit, ut sicut hoc loco ibi a nullo aequius esse defendi Murenam doceat quam a consule.

Vitiosa est librorum lectio in eadem oratione 4, 9: *Quodsi licet, si te auctore possum, si nulla inertiae, nulla superbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur: ego vero libenter desino.* Ibi cum tria membra orationis sint, quorum duo suum habent subiectum, oratoria aequabilitatis lege, quae maxime a Cicerone observatur, postulari apparet, ne tertium subiecto careat. Nam quod in cod. G legitur nominativus *inercia* et *superbia,* ea opinor scioli cuiusdam est correctio. Quid quod in postero enuntiato, quod particula *sin* ad illud refertur eique contrarium est, redit ea, quae illic desideratur trium membrorum aequabilitas: *sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit* et ita redit, ut singulae notiones huius enuntiati singulis illius respondeant. Iam cum in hac aequalium sententiarum continuatione membra etiam orationis accurate exaequata esse iure exspectemus, pro certo haberi debet aliquod vocabulum post illud *inertiae* intercidisse, quod recte iam Lambinus statuit, qui *nota* omissum esse putavit. Sed cum id quod quaeritur vocabulum ea de causa omissum esse videatur, quia non multum litterarum specie differret vel a subsequenti vel ab antecedenti voce, potius scribendum videtur: *Quodsi licet, si te auctore possum, si nulla inertiae* macula, *nulla superbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur.* Ea autem locutio, qua quis *maculam suscipere* dicitur, non solum occurrit in codicibus orationis de imp. Cn. Pomp. 3, 7 *delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore suscepta* exceptis duobus, qui siglis EV notantur, sed defenditur etiam hac re, quod vocabulum maculae hic eodem verbo coniunctum est, quo vocabula culpae et turpitudinis ex usu linguae latinae coniungi posse notum est.

Vereor ne recte non omnia se habeant quae leguntur in eadem oratione 30, 62, ubi Cicero leniter et festive irridet Catonem, qui Stoicorum praecepta paulo asperius et durius, quam veritas aut natura patiatur, ad usum vitae publicae referre soleat. Atque hunc locum sic instituit, ut Catonem ipsum inducat Stoicorum sententias quasdam admirabiles proferentem ex eisque iudicantem, si vel publicani aliquid petunt vel supplices aliqui veniunt miseri et calamitosi vel de aliis rebus publicis agitur. Fingit igitur aliquem cum eo colloquentem hoc modo, ut Cato compellatus huic respondeat: *Dixisti quippiam.* '*Fixum et statutum est.*' *Non re ductus es, sed opinione.* '*Sapiens nihil opinatur.*' *Errasti aliqua in re. Maledici putat. Hac ex disciplina illa sunt:* '*Dixi in senatu me nomen consularis candidati delaturum esse?*' *Iratus dixisti.* '*Nunquam, inquit, sapiens irascitur.*' *At temporis causa.* '*Improbi, inquit, hominis est mendacio fallere; mutare sententiam turpe est; exorari scelus, misereri flagitium.*' Non satis attenderunt editores ad orationis formam; huius enim sermonis aequabilis partitio admodum turbatur verbis *maledici putat,* quae ab huius colloquii ratione aliena sunt et figurae oratoriae perpetuitatem vehementer interrumpunt. Debebat enim Cicero, si quidem sibi constare voluit, sicut eum voluisse credendum est, ipsum Catonem respondentem facere. Sensisse tale aliquid videtur is, qui in editione Veneta a. 1472 scripsit *Errasti si aliqua in re, maledici putat* nec tamen omnino satis fecit. Lectio codicum omnium eadem est, nisi quod E habet *putant.* Quae cum ita sint, facillima hac emendatione restituisse mihi videor eam quam quaesivit orator aequabilitatem: *Errasti aliqua in re.* '*Maledici puta.*'

Signum lacunae apposuit Baiterus huic loco, qui est in oratione de prov. consul. 7, 15: *Hosce igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere * * imperator appelletur, alterum, si tabellarii non cessarint, necesse est paucis diebus paeniteat audere.* Significantur hic L. Calpurnius Piso et A. Gabinius, quorum ille praeerat Macedoniae provinciae, hic Syriae. Monet autem Cicero, cum hos duos deducendos esse de provinciis senatoribus persuadere studeat, A. Gabinio supplicationem denegasse senatum nuntianti de victoria aliqua ab hostibus reportata. *Quae enim,* inquit, *homini, in quo aliqui, si non famae pudor, at supplicii timor est, gravior poena accidere potuit, quam non credi litteris iis, quae rem publicam bene gestam in bello nuntiarent?* (6, 14). Et de altero de L. Calpurnio Pisone haec dicit: *Itaque ille alter aut ipse est homo doctus et a suis Graecis subtilius eruditus . . . aut amicos habet prudentiores quam Gabinius, cuius nullae litterae proferuntur.* Deinde denuo vehementius illos insectatur, concludens hunc totum locum orationis eis verbis, quae supra attuli ita ut Baiterus edidit secutus codices primarios; nam in libro P a prima manu scriptum est *facere imperator,* ut in E. Verba autem *imperator appelletur* — nam *ne* in libro P a secunda manu et in G per coniecturam insertum esse quivis intelleget — quae quomodo cum superiore enuntiato coniuncta fuerint incertum est, ad utrumque pertinere et de duobus illis praedicari, non de uno, satis apparet. Eum enim, qui posteriore loco describitur, A. Gabinium iam haberi imperatorem cum indignatione Cicero queritur, scilicet quia senatum de victoria aliqua certiorem fecerit, L. autem Calpurnius Piso futurum fuisse ut et ipse imperator haberetur, nisi eundem nuntium ad senatum mittere destitisset. Idem est ille, in quem compluribus annis post singulari aliqua oratione acerbissime invectus est, ubi haec de eo dixit (37, 92): *in Macedonia tropaea posuit eaque, quae bellicae laudis victoriaeque omnes gentes insignia et monumenta esse voluerunt, noster hic praeposterus imperator amissorum oppidorum, caesarum legionum, provinciae praesidio et reliquis militibus orbatae ad sempiternum dedecus sui generis et nominis funesta indicia constituit.* Sed ea quidem sententia, quam loco illo lacunoso desiderari docuimus, nullo recuperatur eorum vocabulorum, quae adhuc supplementi causa viri docti inseri voluerunt; nec enim huic aptum est *anne* nec *num* nec vero, id quod plerisque fortasse probabile videbitur, *cur* insertum, quia ad eum locum nullum habet momentum ea causa, cur alter imperator appelletur, sed ibi illud potius significatur alterum horum victoriae alicuius nuntium ad senatum misisse, alterum non misisse. Supplemus ergo hunc locum scribendo: *Hosce igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere,* ut *imperator appelletur, alterum, si tabellarii non cessarint, necesse est paucis diebus paeniteat audere,* ut negativa prioris sententiae vis simul pertineat ad rem consequentem. Eius usus exempla infra ad Tusc. disp. I 22, 50 nonnulla afferentur.

Excipitur is locus, quem modo tractavimus, his verbis, quae nunc propono sicut in Baiteri editione leguntur: *cuius amici, si qui sunt aut si beluae tam immani tamque tactrae possunt ulli esse amici, hac consolatione utuntur, etiam T. Albucio supplicationem hunc ordinem denegasse. Quid? Est primum dissimile res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis a propractore una cohorte auxiliaria gesta et bellum cum maximis Syriae gentibus et tyrannis consulari exercitu imperioque confectum. Deinde Albucius, quod a senatu petebat, ipse sibi in Sardinia ante decreverat.* Comparatur igitur ea ratio, qua senatus in A. Gabinio usus est, cum ea, qua in T. Albucii causa uti placuit, sicut in oratione in Pisonem habita T. Albucius cum L. Pisone componitur. Iam quod Baiterus cum Garatonio scripsit *Quid? Est* pro eo quod in libris legitur *quid est* (P) et *quod est* (GE), id certe fecit hac ratione ductus, quod cum duo essent enuntiata particulis *primum* et *deinde* inter se relata, ut et prioris et posterioris affirmativa esset forma, totius orationis structura postularet. Neque vero licet in priore illa sententia per interrogationem rem exponere, in posteriore per affirmationem narrare, cui rationi contraria est M. Seyfferti coniectura, qui scribere voluit: *Quid? Estne . . .?* Nihilo autem melior est Baiteri lectio, quae id quidem sibi sumit, ut ea sententia affirmatio sit, non interrogatio scilicet interpunctione maxima posita nec tamen ullo iure hanc sibi vim ac notionem vindicare debet. Hoc enim loco pronomine *quid* interrogari non potest, ut non subsequatur enuntiatum interrogativum. Sed cum ostendere velit orator, quid rei sit easque res, quibus quam diversa sit causa A. Gabinii et T. Albucii

demonstrare possit, statim dicat, scribendum videtur: *Quid est? Est primum dissimile* et q. s. Similis est usus formulae illius vel *quid ergo est?* vel *quid igitur est?* qua oratio incidatur et quid rei sit interrogetur. Sed ut hoc loco post interrogationem per *quid est?* factam orator ipse exponit, quibus in rebus ea dissimilitudo quam intercedere contendit posita sit, eamque ob causam affirmativum enuntiatum addit, ita ei formulae hisce locis interrogationem adiungit: *Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem* (in Cat. I 5, 13) et *Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent* (ibid. 8, 20). Scire enim vult, quid Catilina sentiat aut facere cogitet?

De prov. consul. 15, 36: *Nam illae sententiae virorum clarissimorum minime probandae sunt, quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. Qui ulteriorem, omnia illa, de quibus disserui paulo ante, perturbat, simul ostendit eam sentire legem, quam esse legem neget, et quae pars provinciae sit, cui non possit intercedi, eam se avellere, quae defensorem habeat non tangere: simul et illud facit, ut, quod illi a populo datum sit, id non violet, quod senatus dederit, id senator properet auferre.* Corruptum est *sentire.* Codex optimus P praebet *eam sentire legem esse,* unde a manu secunda factum est *eam sentire legem quam esse,* codd. GE *eam se scire legem quam esse.* Qui igitur ulteriorem Galliam cum Syria decernat, eum ostendere dicit orator se legem Vatiniam sequi — ea enim significatur —, quam esse legem neget. Quare quamquam non est in obscuro, cuius notionis vocabulum hoc loco requiratur, tamen mendosae illius lectionis originem parum eae coniecturae expediunt, quae adhuc propositae sunt. Suspicor scribendum esse *simul ostendit eam* se servare *legem, quam esse legem neget.*

Tuscul. disp. I 8, 15: *M. Ecquid ergo intellegis quantum mali de humana condicione deiecceris? A. Quonam modo? M. Quia, si mori etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus in vita: nunc video caleem, ad quam cum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum.* Hoc toto loco inde a § 9 Cicero eorum opinionem refellere studet, qui mortem esse putant malum non solum vivis, sed etiam mortuis. Iam cum mortuis, quia omnino non essent i. e. quia nec mortis sensum habere possent nec vitae fortunas recordari, mortem non esse malum demonstrasse sibi videatur, reliquum est, ut probet ne vivis quidem mortem esse malum. Verba *in vita* nunc omnes consentiunt delenda esse, quia sive coniungantur cum antecedenti enuntiato sive trahantur ad sequentia *nunc video caleem* nullo modo intellegi possint. Sed quamquam defendi videtur posse haec ea de causa in prima enuntiati sede collocata esse, ut maiore cum vi efferrentur, tamen ne licere quidem opinor ea verba ad sequentia trahi, quia haec est quod sciam constans talium enuntiatorum collocatio, ut illud *nunc* vel *nunc autem* vel *nunc vero,* quod veram conditionem significat et quae sit cogitatae opposita, semper primum sententiae locum obtineat. Sed illud *in vita* editores omnino non recte interpretantur et non convenienter ad usum linguae latinae. Quod si ita vulgo explicant, ut Cicero dicat, si mori etiam mortuis miserum esset, nos dum viveremus sive vivos infinitum quoddam et sempiternum malum habituros esse, certe haec sententia non absurda non potest videri, quia sempiternum malum etiam mortui haberemus. Est haec omnium editorum communis interpretatio, quae ut de ea facilius iudicari possit, hac pressa argumentatione docti cuiusdam brevissime describitur: *quomodo possit sempiternum malum* in vita *esse, si mori mortuis sit malum, non intellego. Nec potest* in vita *ad sequentia* (in vita nunc video calcem) *trahi. Sic enim significaretur, conspici calcem, ad quam cum esset decursum, aliqua vitae pars remaneret; neque enim vitae finem in vita esse dici potest.* Ergo iure credo omnium consensu haec verba ex orationis contextu exterminata sunt. Nec tamen quid in causa esset, cur haec verba interpretandi causa adscripta esse putaremus, quisquam explicare potuit. Parvi sunt momenti, quae addere nunc volo, sed tamen non inutilia ad notionem et usum eius locutionis *in vita* accuratius cognoscenda. Locos quosdam profero, in quibus ea occurrit: pro Flacco 19, 45 *cui nullus honos in sua civitate habitus est unquam; res autem ea quae tenuissimis committebatur, huic una in vita commissa sola est.* ad Att. V 20, 6 *ego in vita mea nulla unquam voluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate.* His atque aliis locis illud *in vita* vel per se usurpatum vel coniunctum cum *omni, mea* similibus addi-

tamentis eam semper habet vim, ut vita contraria sit morti, non ut, id quod hoc Tusculanarum disputationum loco fieri vulgo creditur, aetatis spatium mortis statui opponatur, contra ubi ii qui in vita sunt iis opponuntur, qui mortui sunt, ibi necesse est vel adiectivo *(vivus)* uti vel alia aliqua locutione, quae pari sit notione, velut *dum vivimus.* Consociantur haec duo dicendi genera in epistula ad Q. fratrem I 3, 2: *sed testor omnis deos me hac una voce a-morte esse revocatum, quod omnes* in mea vita *partem aliquam tuae vitae repositam esse dicebant: quare peccavi sceleratequc feci. nam si occidissem, mors ipsa meam pietatem amoremque in te facile defenderet: nunc commisi, ut* me vivo *careres,* vivo me *aliis indigeres, mea vox in domesticis periculis potissimum occideret, quae saepe alienissimis praesidio fuisset.* Ac secundum has rationes iudicari debet de iis, quae in or. in Cat. IV 4, 8 leguntur, ubi Cicero Caesaris sententiam, quae coniurationis participes mortis supplicio afficiendos non esse censeat, multo duriorem esse callide et festive demonstrat quam D. Silani, qui morte eos multandos esse censuerit. *Vitam,* inquit, *solam relinquit nefariis hominibus, quam si eripuisset, multos uno dolore dolores animi atque corporis et omnes scelerum poenas ademisset.* Qui sint isti dolores apparet ex eis, quae modo dixit, et iterum significat infra § 10. Tum protinus haec adicit: *Itaque ut aliqua* in vita *formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt, quod videlicet intellegebant iis remotis non esse mortem ipsam pertimescendam.* Non igitur vivi improbi et mortui inter se opponuntur, sed vita et mors ipsa; haec enim est sententia eam opinionem de mortuorum suppliciis excogitatam esse, ne vita careret mortis metu. Caesar autem in morte nihil esse timendum dictitaverat, quia non supplicii causa a dis immortalibus ea esset constituta et ultra nec curae nec gaudio locus esset.

Sed redeamus ad Tusculanarum disputationum locum, in quo illud *in vita* eandem fere vim habet ac si *vitam* positum esset nec tamen ipsum omnino par habendum est accusativo. Praepositione enim *in* persaepe scriptores latini utuntur, ut eius vel hominis vel rei nomen notent, quocum coniunctum et conexum aliquid apparet vel cuius in ambitu aliquid aut versatur aut fit. Ergo non ita multum referret, ut modo dixi, si Cicero *vitam* scripsisset, quamquam illud *in vita,* cum potius id describat quod cum vita coniunctum est eique adhaerescit, quam rem ipsam astricte exprimat, ipsi sententiae magis convenienter et congruenter dici sane fatendum est. Hinc etiam proficiscitur notio illa eius praepositionis, qua enuntiati concessivi saepe vices tenet. Hac autem interpretatione eius loci eadem sententia efficitur, quam compluribus harum disputationum locis Cicero proponit, velut § 9: *Et quidem, si tibi constare vis* (si mors malum tibi videtur esse), *omnes quicunque nati sunt eruntve, non solum miseri, sed etiam semper miseri.* § 91: *Natura vero si se sic habet, ut, quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster adferat, sic exitum mors: ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, cum mors nec ad vivos pertineat nec ad mortuos.* Adde § 100. 118.

Latissime patet is usus huius praepositionis, quem tetigerunt Reisigius in scholis grammat. lat. p. 729 sq. Handius in Tursell. III p. 265 sqq. Naegelsbachius in praeceptis stili lat. p. 276. 337. 342 edit. 2, sed cum compluribus locis parum explicatus sit, pauca nunc addere mihi liceat. Ac primum quidem exempla profero Sallustiana haec: *quae* apud alios *iracundia dicitur, ea* in imperio *superbia atque crudelitas appellatur* (Cat. 51, 14) i. e. 'apud eos, qui in imperio sunt', *apud alios* autem idem est, quod *in aliis* cf. Iug. 106, 6 *neque* apud illum *tantum scelus inultum relinquendum.* Plura dedit Dietschius ad Cat. 9, 2. Atque in Ciceronis scriptis hanc dicendi rationem editionum popularium scriptores dudum adnotaverunt, velut O. Heinius ad Tusc. I 36, 88. III 18, 39. V 9, 24. 22, 63 quibus locis alios addere possis, ut I 36, 90. II 4, 12. Phil. I 15, 37. II 1, 1. pro Sest. 3, 7. 68, 143, de aliis huius orationis cf. Halmium ad 55, 118. Eadem ratio valet in or. pro Mur. 13, 28 et 18, 37 ubi nihil suppleri debet. Adde pro Mil. 31, 85 *religiones mehercule ipsae, quae illam beluam cadere viderunt, commovisse se videntur et ius* in illo *suum retinuisse.* 33, 88 *ne cum solebat quidem id facere,* in privato eodem hoc *aliquid profecerat.* Nec delenda est praepositio contra librorum consensum in or. de prov. cons. 17, 42 *Traduxit ad plebem inimicum meum, sive iratus mihi, quod me secum* ne in beneficiis quidem *videbat posse coniungi, sive exoratus.* Item recte se habent

haec in Phil. III 6, 15 *Quis enim hoc adulescente* (Caesare) *castior? quis modestior? quod* in iuventute *habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis?* ubi quod codicis Vaticani prima manus *in* omisit, Halmius de ea lectione dubitavit. Ac de Iulianis exemplis cf. interpr. ad b. c. I 32, 5; de Livianis Weissenbornium ad V 3, 8. 36, 9. (adde 52, 3.) XXI 10, 11. XXVI 2, 14. Ad hanc autem locutionem restituenda sunt, quae traduntur apud Livium XXIIII 9, 10: *tempus ac necessitas belli ac discrimen summae rerum faciebant, ne quis aut in exemplum exquireret aut suspectum cupiditatis imperii consulem haberet.* Hoc enim minime vulgare fuit, cum Q. Fabius Maximus et M. Claudius Marcellus consules crearentur, Fabio consuli ipsi comitia habenti consulatum in proximum annum continuatum esse. Iam cum *in exemplum exquirere* inauditum sit, aliquid intercidisse suspicari possis; haec enim fere eius loci sententia fuisse videtur, Romanos tum eius rei exemplum non quaesivisse. Scribendum igitur videtur: *ne quis aut* in eo *exemplum exquireret.* Tantam in Fabii virtute ac fide Romani fiduciam habebant, ut in eo i. e. vel in ea re vel in eo homine non quaererent, num quid simile antea factum esset nec eum suspectum cupiditatis imperii haberent. Consimilis plane locus est in or. de prov. cons. 11, 28: *Actum est de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii* exempla quaerebant, *alii . . .;* in ea quoque re *sic sum locutus, ut . .* Verbum autem quaerendi eam structuram saepius habet velut pro S. Rosc. Am. 22, 62. ad fam. II 6, 3 *statuique* in eo (Milone) *me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere* quaerere, de prov. cons. 19, 46 *mihi concedant homines oportet* in rebus bonis non exquirere *ea iura, quae ipsi* in perditis non exquirant.

Lenissima emendatione corrigi posse puto, quae extant in Tusc. disp .I 16, 38, hac: *Hanc opinionem discipulus eius* (Pherecydis Syrii) *Pythagoras maxime confirmavit, qui cum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Graeciam cum* acriore *disciplina, tum etiam auctoritate,* ubi in libris *honore* legitur, quod qui deleverunt, nullam causam attulerunt, cur inseri potuisse putaremus. Qui scripserunt *honore disciplinae* contra ipsius sententiae rationem valde peccaverunt.

Tuscul. disp. I 22, 50. 51 in libris haec leguntur: *Sed plurimi contra nituntur animosque quasi capite damnatos morte multant, neque aliud est quicquam cur incredibilis iis animorum videatur aeternitas, nisi quod nequeunt qualis animus sit vacans corpore intellegere et cogitatione comprehendere. Quasi vero intellegant qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus,* ut si iam possent in homine uno cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem. *Haec reputent isti, qui negant animum sine corpore se intellegere posse: videbunt, quem in ipso corpore intellegant.* Hoc loco primum Bentleius corruptum *uno* verissime emendavit, cum *vivo* scripsit; deinde ut haberet interrogatio disiunctiva, si quidem libris confidere licet, unde penderet, plerisque Lambini coniectura placebat, qui *aut* pro *ut* reponendum esse censuit, ut post *aut* cogitatione iteraretur *intellegant* eoque verbo regeretur enuntiatum interrogativum. Quod ullo modo fieri posse leges grammaticae vetant. Nec magis tolerabile existit anacoluthon, si quidam interpretes structuram, cuius initium a particula *ut* factum est, continuari posse existimant et excipi interrogatione disiunctiva, quod idem videtur G. Wicherto in institutionibus stili lat. p. 53 sq. Sed, ut omittamus alias coniecturas, quibus admodum nihil lucramur, de huius loci emendatione iudicari non poterit, nisi quae sententia subiecta sit, ante accuratius constitutum erit. Nam ex ea male intellecta omnis criticorum error manavit. Ac si totius loci argumenta paucis complectimur, multi animos aeternos esse negant, ea sola de causa, quia qualis sit animus vacuus corpore non intellegunt nec tamen iidem magis exploratum habent, qualis sit animus in ipso corpore. Nam cum Cicero dicit cum ironia: *videbunt quem in ipso corpore intellegant* hoc idem est ac si dixisset, eos ne eum quidem, qui in ipso corpore esset, intellegere. Iam si duas illas sententias, quae etsi nunc nullo vinculo grammatico inter se coniunctae sunt, tamen aliquo modo coniunctae cogitari debent, unam hanc: *Quasi vero intellegant qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus,* alteram hanc: *si iam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem* — has inquam sententias si inter se comparamus neque illud neglegimus, iuxta coniunctivum temporis imperfecti *possent* praesentis coniunctivos *videatur* et *sit* positos esse, hac collatione

eo fere deducamur necesse est, ut Ciceronem tale aliquid voluisse dicere putemus, quod sententiae priore illo enuntiato *Quasi vero intellegant qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus* inclusae simile esset. Quid ergo est? Hoc modo, nisi omnia me fallunt, Cicero argumentatur ne si cerni quidem possent in homine vivo omnia, quae nunc tecta sunt, eos qui animos aeternos esse negent, unquam indicare posse casurusne in conspectum videatur animus an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem. Dubitat igitur, etiamsi interiores hominis vivi partes in conspectu essent, num isti omnino animum cernere possint. Iam si hoc alterum enuntiatum particula *ut* cum priore coniunctum videmus, haec certe est structura illa, qua negandi vis, quae in particulis *quasi vero* latet, simul ad rem consequentem pertineat, velut Tuscul. disp. I 26, 64: *mihi vero ne haec quidem notiora et inlustriora carere vi divina videntur, ut ego aut poetam grave plenumque carmen sine caelesti aliquo mentes instinctu putem fundere aut eloquentiam sine maiore quadam vi fluere abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis,* cuius loci in adnotatione O. Heinius affert alterum exemplum eius usus ex eodem libro (II 19, 45) sumptum hoc: *numquam terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modum, ut sciam quid summum dicat in dolore.* Nec inutile est significare eandem dicendi rationem in pronomine relativo usurpatam esse hoc loco (Tusc. d. IV 4, 7): *nos institutum tenebimus nullinsque unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessario parcamus, quid sit in quaque re maxime probabile semper exquiremus.* Adde praeter eum locum orationis de prov. consul. 7, 15, quem supra emendare conati sumus, de invent. I 2, 3: *profecto nemo nisi gravi et suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad ius voluisset sine vi descendere, ut inter quos posset excellere, cum eis se pateretur aequari et sua voluntate a iucundissima consuetudine recederet, quae praesertim iam naturae vim obtineret propter vetustatem* et hunc Livianum XXIII 5, 5: *quid enim nobis ad Cannas relictum est, ut quia aliquid habeamus, id quod deest, expleri ab sociis velimus? pedites vobis imperemus, tamquam equites habeamus? pecuniam deesse dicamus, tamquam ea tantum desit? nihil, ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna.* Alia ratio est eorum locorum, ubi particula consecutiva *ut* post enuntiatum negativum significat id quod re vera factum est, effici non potuisse ea re, quae negatur, velut Philipp. II 1, 1: *Tu ne verbo quidem violatus, ut audacior quam Catilina, furiosior quam Clodius viderere, ultro me maledictis lacessisti* et Philipp. I 5, 12: *At ille vobis audientibus cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem et valde intemperanter. Cuius enim maleficii tanta ista poena est, ut dicere in hoc ordine auderet se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum?* Sed hoc loco omnia ita rectissima fieri puto, si scribatur *poena esset.*

Redeo nunc ad eum Tusculanarum disputationum locum, quem supra emendare coepi, in quo iam necessario concludendum est, id verbum intercidisse, quod et ipsum penderet a particula *ut* et rursus regeret enuntiatum interrogativum. Itaque sic scribo inserto eo vocabulo, quod post easdem fere litteras omitti facile potuit: *Quasi vero intellegant qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus, ut, si iam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt,* sciant, *casurusne in conspectum videatur animus an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem.*

Tusc. disp. I 30, 73 in libris haec scripta sunt: *Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui cum acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent, sic mentis acies se ipsa intuens nonnunquam hebescit ob eamque causam* et q. s. Impedita est oratio et vel illud *cum,* ut Manutius et Lambinus statuerunt, vel retento *cum,* ut Bentleius voluit, eiciendum esse videbatur *ut.* Nihil delevit Klotzius, sed scripsit *quicumque,* quod quidem nihilo magis mihi probabile videtur. Lenissima emendatione hunc locum corrigi posse puto, si scribatur *tam acriter.* Quae si vera est, Cicero similitudine libera et separata utitur, ut maiore aliqua distinctione duae illae verborum comprehensiones seiungi debeant hoc modo: *Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui* tam *acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent: sic mentis acies se ipsa intuens nonnunquam hebescit ob eamque causam* et q. s.

Simili vitio laborant ea, quae Tusc. disp. V 27, 76 in libris leguntur: *Sint enim tria genera bonorum,*

ut iam a laqueis Stoicorum, quibus usum me pluribus quam soleo intellego, recedamus, sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi et tantum modo, quia sumenda sint, appellentur bona, alia autem illa divina longe lateque se pandant caelumque contingant: ut ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim? Quod hoc loco proposuit, id Cicero ea quae subsequitur disputatione demonstrare studet; contendit enim etiam Peripateticos etsi tria esse bonorum genera dicant, concedere cogi sapientis vitam semper atque etiam in maximis cruciatibus beatissimam esse. Iam cum illud *ut,* quod libri habent, nullo modo ferri possit, quod vel ex eis cognoscere licet, quae breviter et argute in editione sua O. Heinius adnotavit, vulgo ea particula deleta est, qua remota aliud est, in quo offendatur. Nulla est enim ultimi enuntiati coniunctio et superiorum, qua aegre caremus. Mihi quidem nihil aptius videtur huic loco particula *at,* qua id, quod Peripateticis concessum est, aliquo modo compensetur.

Depravatam codicum scripturam, quae est in l. V 37, 106, ita correxit O. Heinius: *Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia quid relinquitur quod extimescendum sit? Exilium, credo, quod in maximis malis ducitur. Id si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda* sapienti, paulo *ante dictum est.* Codices optimi RG habent *sicutapaulo,* G eadem manu ex *sicut apollo* correctum, deteriores *sicuti paulo.* At huic coniecturae illud obstare mihi videtur, quod Cicero hoc loco universa disputandi ratione utitur sapientis nomine non nominato. Hoc enim demonstrant ea, quae infra dicit § 107 loco nunc lacunoso: ** *adfiecre sapientem? De sapiente enim haec omnis oratio est, cui iure id accidere non possit; nam iure exsulantem consolari non oportet.* Sapientis igitur commemorationi, quam inseruit O. Heinius, nullus ibi locus est, quamquam certe ad illum pertinent ea, quae Cicero disseruit. Video iam M. Seyffertum eadem contra eam opinionem monuisse, cuius tamen rationi non paruit in editione sua O. Heinius. Restituitur ni fallor locus corruptus scribendo: *quam sit ea contemnenda* sententia, paulo *ante dictum est.* Vitiosa enim scriptura inde orta esse mihi videtur, quod *sententia* primum corruptum est in *sentia,* quod mox mutatum est in *sicuta.* Loquitur autem Cicero de his et similibus sententiis supra § 26—31, quibus allatis deinde § 37—54 una virtute beatam vitam effici ostendit.

Sed utor nunc hac occasione, ut emendationes quasdam edam, quas in exemplo aliquo primae editionis Kuehnerianae, quae prodiit Ienae a. 1829, notatas inveni. Cum enim nuper in scholis gymnasii nostri Tusculanas disputationes cum discipulis legerem, adhibebam lectioni parandae illud exemplum bibliothecae nostrae, in quo compluribus locis libri primi inter versus scriptae hae extant emendationes:

24, 58 *nihil enim ille putat esse quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale* est, quam *ἰδέαν appellat ille, nos speciem.* Idem scripsit Ernestius. Codd. omittunt haec verba *est: quam.*

24, 59: *Ego autem maiore etiam quodam modo memoriam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus, aut quam habet vim aut* unde natum. Codd. GR. *unde naturam,* B *inde naturam.*

28, 69: *hominemque ipsum quasi contemplatorem caeli* et agrorum *cultorem.* Codd. GR *deorum eorum,* B *deorum eorumque.*

31, 75: *Secernere autem a corpore animum* ecquidnam aliud est mori *discere?* Codd. *nec quidquam aliud est mori.*

31, 77: *Catervae veniunt contra dicentium nec solum Epicureorum, quos equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimus quisque* contendit, *acerrume autem deliciae meae Dicaearchus contra hanc immortalitatem disseruit.* Codd. *contemnit.*

32, 78: *M. Num quid igitur est causae quin amicos nostros Stoicos dimittamus? eos dico, qui aiunt manere animos, cum e corpore excesserint, sed non semper. A. Istos vero, qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiant, posse animum manere corpore vacantem, illud autem, quod non modo facile ad credendum est, sed eo concesso, quod volunt, consequens,* id vero non dant, *ut, cum diu permanserit, ne intereat.* Codd. *idcirco non dant.*

36, 87: *nos qui sumus, num aut cornibus caremus aut pinnis?* quis est qui id dixerit? cod. G *sit quid dixerit,* RB *sit qui id dixerit.*

36, 88: *Dicitur enim alio modo etiam carere, cum aliquid non habere te sentias, etiam si id facile patiare.* At ita carere in morte *non dicitur illud, bono carere, quod est malum.* Codd. *carere in morte.*

49, 117: *Quae cum ita sint, magna tamen eloquentia est utendum atque ita velut superiore e loco contionandum, ut homines mortem vel optare incipiant vel certe timere desistant? Nam si supremus ille dies non exstinctionem, sed commutationem adfert loci, quid optabilius?* Primum igitur enuntiatum interrogativum esse voluit vir doctus. Recte id quidem, quia nisi hac interpunctione facta non intellegitur, cuius rei causa altero enuntiato significetur.

Iam cum has emendationes primo suspicarer profectas esse a Gernhardo, viro elegantissimae doctrinae, qui quondam rector fuit gymnasii Vimariensis, atque ab ipso in meditationibus interpretationis scholasticae, ut fit, in eo exemplari, quo uti soleret, notatas, adii generum eius, nuper collegam meum humanissimum, C. E. Putschium, ut si posset rem diiudicaret. Manu inspecta a Gernhardo eas scriptas esse negavit. Itaque aut ab eius discipulo aliquo, qui hoc exemplari utebatur, exceptae sunt aut alii cuidam debentur. Sed harum emendationum nulla est, quae mea defensione egeat, se enim ipsae omnes satis commendant.

de orat. I 9, 35 in eam sententiam disputantem Cicero Q. Mucium Scaevolam facit, ut contendat et initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum *prudentium consiliis* compulsum potius esse quam *disertorum oratione* delenitum se oppidis moenibusque saepsisse et vero reliquas utilitates aut in constituendis aut in conservandis civitatibus a *sapientibus et fortibus viris,* non a *disertis ornateque dicentibus* esse constitutas. Exempli causa nominat Romulum, Numam Pompilium, Servium Tullium, reliquosque Romanorum reges, in quibus nullum eloquentiae vestigium appareat, tum ita pergit § 37: *quid? exactis regibus, tametsi ipsam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti esse cernimus, sed deinceps omnia nonne plena consiliorum, inania verborum videmus?* Apparet igitur maxime ex adversativa sententia Scaevolam exactionem regum ea de causa nominasse, ut liberam rem publicam temperatam fuisse demonstraret consiliis. At huic rei minime contrarium est id, quod in concessiva enuntiati parte dictum est. Si enim reges exacti sunt *mente, non lingua* — ut nunc ex libris editur —, quomodo huic facto particulis *sed deinceps* postera rei publicae condicio opponi potest, in qua pariter consilia, non verba dominata esse dicuntur? Imo postulatur hic eadem oppositio mentis et linguae sive consiliorum et verborum, quae prudentium et disertorum est, qui paullo supra commemorati sunt, quae ut efficiatur, verba *mente* et *lingua* sedes suas inter se commutare necesse est. Quid? exactio regum nonne L. Bruti lingua facta est? Cum enim Brutus, ut ulcisceretur magnum illud scelus in Lucretia commissum, a Collatia Romam cum multis armatis in forum profectus esset, *pracco* — ut est apud Livium I 59, 7 — *ad tribunum Celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum advocavit. ibi oratio habita nequaquam eius pectoris ingeniique, quod simulatum ad eam diem fuerat de vi ac libidine Sex. Tarquinii, de stupro infando Lucretiae et miscrabili cacde,* de aliis rebus, tum pergit Livius: *his atrocioribusque credo aliis, quae praesens rerum indignitas haudquaquam relatu scriptoribus facilia subicit, memoratis incensam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret exsulesque esse iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis.*

Sed finis sit huius libelli, cui nunc quasi aliquod corollarium adiungo exemplum epistulae adhuc ineditae, quam Carolus Reisigius Thuringus — hoc enim cognomine libenter eum usum esse notum est — quondam ad C. F. Heinrichium dedit de loco quodam orationis pro Scauro. Emta est Elberfeldae mihique ab amico quodam abhinc complures annos transmissa. Quamquam ea quidem coniectura, quam in hac epistula cum amico suo eodemque editore eius orationis communicavit, nunc nihil novi affert neque ab omni parte vera est, tamen ipsius epistulae cognitionem non ingratam fore spero eis, qui qualis hic vir fuerit quantaque eius in philologiam merita, etiamnunc grata tenent memoria. Scripta est a. 1821, si fidem habere licet ei, qui hunc annum in aversa parte notavit. Epistula igitur haec est: *Car. Reisigius Heinrichio salutem. Ὡς ἐν παρόδῳ. Lubet enim primis tribus verbis te certiorem facere de emendatione mea Orat. pro Scauro p. 19 edit. tuae: „quae si erunt ut mea ratio et cogitatio fert, postea et constitutam illam accusationis partem pertimescam.“ Nam quum hodie inter scyphos Naekius tuus gratissimam iucundissimamque tui me-*

moriam excitaret, cogitatio mentem subiit, hoc tibi documento quantum te diligerem declarare. Recte desideras negationem: sed insunt etiam alia incommoda. Displicet constitutam — partem, *quum assit* illam, *quod satis est ad demonstrandum. Deinde parum latine facta est apodosis per* postea, *quoniam antecessit protasis conditionis,* si —. *Denique nimis iciuna est loquutio de* fundamentis: *„quae si* erunt —“. *Tu qui more Ciceroniano egregie imbutus es tua sponte requires verbum. Itaque haec habeto: quae si erunt, ut mea ratio et cogitatio fert,* posita *et* constituta, nec *illam accusationis partem pertimescam.*

Haec hactenus. Scripsi αὐτοσχεδιαστί, maxime ut salvere te iuberem. Vale.

Scribitur nunc eo loco e palimpsestis Ambrosiano et Taurinensi: *quae si erunt, ut mea ratio et cogitatio fert,* posita *et* constituta, nullam *accusationis partem pertimescam,* his nimirum melius lectis ab Amed. Peyrone quam ab Ang. Maio, cuius opera nitebatur ea editio, qua orationum pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco partes ineditae per A. G. Cramerum et C. F. Heinrichium Kiliae prodierunt a. 1816.

Hugo Weber.

Conspectus locorum qui hoc libello emendantur.

Cicero pro Milone 25, 67 . . . . . p. 6
26, 29 . . . . . p. 6
pro Murena 2, 3 . . . . . p. 7
4, 9 . . . . . p. 7
30, 62 . . . . . p. 7
de oratore I 9, 37 . . . . . p. 14
Philippica I 5, 12 . . . . . p. 13
7, 17 . . . . . p. 3*)
13, 31 . . . . . p. 3 sq.
14, 35 . . . . . p. 4
II 7, 17 . . . . . p. 4
22, 55 . . . . . p. 4
27, 65 . . . . . p. 5
31, 77 . . . . . p. 5
37, 93. 94 . . . . p. 5
Cicero Philippica II 38, 98 . . . . . p. 6
III 5, 12 . . . . . p. 6
6, 16 . . . . . p. 5 sq.
de provinciis consularibus 7, 15 (bis) p. 8 sq.
15, 36 . . p. 9
Tusculanae disputationes I 8, 15 . p. 9 sq.
16, 38 . p. 11
22, 50. 51 p. 11 sq.
30, 73 . p. 12
V 27, 76 . p. 13
37, 106 . p. 13
Livius XXIIII 8, 1 . . . . . p. 4
9, 10 . . . . . p. 11
XXV 10, 5 . . . . . p. 4

Accedunt emendationes docti cuiusdam in Tuscul. disp. libro I factae:

24, 58. 59 . . . . . p. 13
28, 69 . . . . . p. 13
31, 75. 77 . . . . . p. 13
32, 78 . . . . . p. 13
36, 87. 88 . . . . . p. 13. 14
49, 117 . . . . . p. 14
et epistula Caroli Reisigii ad C. F. Heinrichium de loco quodam orationis pro Scauro (10, 21) p. 14

*) H. Rassovius suasit *etiam.*

Schulnachrichten.

I. Chronik.

Am Anfange des Schuljahres übernahm Herr Gymnasiallehrer Ranitzsch die ihm vom Grossherzoglichen Staatsministerium übertragene erste Lehrerstelle am hiesigen Schullehrerseminar. Zu unserer Freude gestattete ihm das neue Amt die Weiterführung des bisher ertheilten hebräischen Unterrichts, so dass seine segensreiche Thätigkeit dem Gymnasium zum Theil erhalten blieb.

Die Mehrzahl der von Herrn Ranitzsch ertheilten Lectionen übernahm Herr Rauch, bisher Collaborator an der hiesigen Stadtkirche, nachdem derselbe durch Ministerialrescript vom 16. Februar zum provisorischen Lehrer ernannt worden war. Herr Rauch ist am 23. April 1846 zu Sondheim geboren und erhielt seine Schulbildung auf den Gymnasien zu Meiningen und Eisenach. Von Ostern 1865 bis Michaelis 1868 widmete er sich in Jena dem Studium der Theologie.

Durch Ministerialrescript vom 7. April wurde Herr Dr. Apelt zum ordentlichen Lehrer der Anstalt befördert.

Am 24. Juni feierten wir den Geburtstag Sr. Königlichen Hoheit des Grossherzogs. Die Festrede, die über das Leben der Fürstin von Gallitzin handelte, hielt Herr Professor Dr. Schubart. Von den Schülern sprach der Oberprimaner Lichtenstein über das Thema: „Der Ruhm der Vorfahren ist ein Schatz für die Nachkommen."

Am Schluss des ersten Quartals verliess uns Herr Hofdiakonus Dr. Hase, der seit Michaelis 1868 dem Gymnasium als ausserordentlicher Religionslehrer angehört hatte, um als Divisionspfarrer in Königlich Preussische Dienste zu treten.

Nach Beginn des Krieges traten 12 der Oberprima angehörende Schüler als Freiwillige in die deutsche Armee, nachdem ihnen auf Grund hohen Ministerialrescripts vom 1. August das Zeugniss der Reife ohne vorherige Prüfung ertheilt worden war. Ihre Namen sind: Carl Ewald aus Weimar, Ernst Redslob aus Jena, Oscar Martin aus Jena, Hermann Schlag aus Weimar, Franz Lichtenstein aus Weimar, Hermann Hesse aus Reisdorf, Paul Fitzler aus Thalbürgel, Johannes Hunnius aus Grossneuhausen, Alfred Zeiss aus Weimar, Hermann Bräunlich aus Weimar, Franz Wendel aus Blankenhain, Friedrich Freiherr von Fritsch aus Weimar. Von ihnen haben zwei hoffnungsvolle Jünglinge, Hermann Hesse aus Reisdorf und Oscar Martin aus Jena, ihr Leben dem Vaterlande geopfert. Der erstere fiel am 2. December in dem Gefechte bei Poupry, der letztere starb am 1. Januar im Lazareth zu Chalons in Folge einer bei einem Eisenbahnunfall erhaltenen Verwundung. Auch nicht wenige frühere Schüler des Gymnasiums, die uns theuer waren und zum Theil zu den schönsten Hoffnungen berechtigten, sind als tapfere Streiter den Heldentod für's Vaterland gestorben. Um das Andenken der Gefallenen zu ehren und unter uns lebendig zu erhalten, beabsichtigen wir ihnen eine Erinnerungstafel in unserer Aula zu widmen. Die Mittel dazu gewährte uns eine

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010690387

87CE Z8